



Haldanus filius fuit Haraldī, nepos Olavi, & pronepos Ingelli regum Danię. Hic Frotho ne patruo mortuo Haraldo fratrī regnum concessit, atq; ipse sibi maris Germanici Imperium retinuit. Cum autē Haquinus fortissimus pugil Haldanum prouocasset, atq; carminibus ferri hebetādi peritus esset, Haldanus eximīę magnitudinis clauam ferreis nodis confertam tunsionis usibus aptauit, perinde ac prestigij uires ligneo robore debellaturus. quo etenit, ut occurrentem sibi Haquinum acriori ictu trucidarēt. Igitur apud Sueones tantus haberi cępit, ut magni Thor filius existimatus, diuinis ā populo honoribus donaretur, ac publico dignus libamine censeretur. Erat etiam condendorum patrio more poematum peritia disertus, & multis uirtutibus ornatus. Itaque cum Haraldus frater ab Erico Sueonum rege trucidatus esset, Haldanus hosti obuiā progressus Daniam recepit, atque etiam Erico uictō Suetiam suo regno adiecit. Cum autem ei æmulus oriretur Sywaldus, magno loco apud Sueones genitus, eundem cum septem filijs solus aggressus fortiter trucidauit. Pari ratione Harthbenum tyrannum deuicit, atque uicinos principes suę ditioni adiecit. Itaque magnam autoritatem in ijs regionibus, quę Oceanum Germanicum spectant, adeptus est. Hic ex Thorilda filia Hatheri regis Noruagię filiū Asmundum sustulit, ā quo posteriores Noruagię reges originem suam duxisse magni æstimarunt, ab Haldano huic solennem generationis suę seriem retexentes. Claruit Haldanus circa annum Christi ducentessimum. Sax. Gram. libro 7.